

DE VIBRATIONIBVS ET SONO LAMINARVM ELASTICARVM

Commentationes Physico - Geometricae.

A. DANIELE BERNOULLI.

I. De *Vibrationibus*

§. 1.

Tot cuius quotidie occurrunt oscillationum quas hic
examinare constitui, exempla, vt fere mirari pos-
simus, neminem adhuc ansum inde arripuisse vt Galileus
quondam ab lampade suspensa oscillationes pendulorum,
istud argumenti genus secundum leges mechanicas disqui-
rendi, praesertim cum iam eousque mechanica sublimior
prouecta sit, vt pauca tentare non audeat. Equidem
anni sunt complures, quo id negotii in me suscepi op-
tatissimoque successu absolui inuentorumque summam Cel.
Eulero duobus indicaui verbis; verum non licuit tunc sin-
gula in ordinem redigere atque cum Academia commu-
nicare, nolui tamen id vltius differre, spe fretus pri-
stinas haec lucubrationes meas nec Academiae ingratas
nec publico plane inutiles fore.

§. 2. Argumentum nostrum multis quaestionibus fer-
tilissimum est non inelegantibus; quia vero vna eadem-
que methodus omnibus sufficit, non puto singulas esse
pertractandas; problematum nimia extensio (quam multi
tantopere amant) plerumque argumenti elegantiae non
parum derogat, nec rei ipsi quicquam ponderis addit,

Tom. XIII.

O

quin